DE
ORIGINE IVRISIVRANDI
PERHORRESCENTIAE

QVAEDAM DISSERIT,

SIMVLQVE LECTIONES PER SEMESTRE AESTIVVM HABENDAS

SOLEMNITER INDICIT

IO. GEORG. PERTSCH, ICTVS

SERENISS. BRVNSVIC. ET LVNEBVRG. DVCIS CONSIL. AVLIC.
CVRIAE AVLICAE GVELPHERB. ADSESSOR ORD. ET
IN ALMA IVLIA IVRIVM ANTECESSOR.

HELMSTADII A. MDCCXXXXIIII.
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

ORIGINE IVRISIVRANDI PERHORRESCENTIAE.

§. I.

Variae opiniones circa originem huius iuriſiurandi.

Diſſentiunt ICti limatae eruditionis & primi ordinis, circa *origines Iuriſiurandi perhorreſcentiae.* Siſtam ſaltem nunc trigam. Agmen ducit celeberrimus Halenſium ICtus, SIMON. PETR. GASSER, qui totus in eo eſt, vt euincat, eiusmodi Iuſiurandum & iura Romana & Canonica penitus ignorare, illudque natales ſuos ſaltem e quisquiliis Gloſſatorum repetere. a) Canonum iura nil de illo diſponere, ſed barbaros illos Iureconſultos, qui Gloſſatorum nomen gererent, hunc foetum edidiſſe, vel obſtetrices manus praebuiſſe, etiam contendit inclytus ſenator Lipſienſis, ADRIAN. STE-

GER, b) qui tamen hanc, quam tuendam ſuſcepit, ſententiam, aliis plane, ac Dn. GASSER, argumentis, propugnat. Eodem autem menſe, vbi conſultiſſimi STEGERI opuſculum lucem adſpexit, prodiit Vitembergae diſſertatio, quae famigeratiſſimum AVGVST. LEYSERVM, olim noſtrum, auctorem agnoſcit. c) Hic ex inſtituto contra Gaſſeriana dogmata calamum ſtrinxit. Siſtam horum Triumuirorum dogmata; iungam deinde meam qualem qualem epicriſin.

a) Dn. GASSER *Diſſ. de eiuranda Eieratione bonae ſpei, ſeu de exiguo vſu Iuramenti perhorreſcentiae aduerſ. Iudicem.* Halae Anno MDCCXXIX.

b) Dn. STEGER *Diſſ. de Iuram. Perhorreſc. vſu pract. in Foris Saxon.* Lipſiae, Ao. MDCCXXX.

c) Dn. LEYSER. *Diſſ. de Iuram. Perhorreſc. eiusdemque vſu pract.* Vitembergae Ao. MDCCXXX.

§. II.

Generalia de ſententia Gaſſeri. & Leyſeri.

Ignoraſſe Romanos tale iusiurandum, inde probatum dare intendit Dn. GASSER, quod iure Quiritum, non aliter niſi partium conſenſu, dati fuerint iudices, adeoque & ſubmoueri a partibus per reiectionem potuerint. a) Hanc theſin non ſolum concedit, ſed & quodammodo tuetur Dn. LEYSER. b) In hoc vero diſſenſus inter illos occurrit, quod prior innuat: olim ſolum diſſensum, locum recuſationis occupaſſe; Poſterior vero inter iudices, libero partium conſenſu electos, & a Praetore datos, diſtinguat, ſimulque contendat: illos quidem ſolo partium diſſenſu, hos vero non aliter quam praeſtito prius iureiurando, reiectos fuiſſe. Semper quippe haſce formulas occurrere: *eiuratos fuiſſe iudices.* Notae ſatis fuere

fuere Dn. GASSERO hae formulae; aſt putauit: Recuſationem ſeu reiectionem iudicum, ſaltem obſeruatis quibusdam ſolemnitatibus factam, & tales pompas forenſes, eiurationis voce denotatas fuiſſe. Audiamus huius viri ratiocinia, per indicem; prodibunt deinde etiam doctiſſimi aduerſarii argumenta.

a) Vid. Dn. GASSER *cit. Diſſ.* §. VIII. *ſeq.*

b) Dn. LEYSER *cit. Diſſ.* §. XXXIV. *ſeq.*

§. III.

Specialis enarratio argumentorum Dn. Gaſſeri.

Docet Excell. GASSER: In addicendo iudice ſtatim a litigantibus quaeſitum fuiſſe: num in illum conſentirent, nec ne? Prouocat ad teſtimonium FESTI, in verbo: *Procum.* Aduocat PLINIVM, dicentem: Sortem & vrnam iudices adſignare, licere reiicere, licere exclamare: *hunc nolo, timidus eſt, & bona ſaeculi parum intelligit.* Solemnia in omnibus actibus iudiciorum, adeoque & in iudicum reiectione vſitata fuiſſe, apud Romanos. Huc itaque refert duo CICERONIS loca, ex illius *oratione Philippica duodecima* & libro *de Oratore,* depromta, quae poſtea ſub examen reuocabo. Adgreditur deinde obiectiones e ſignificatione vocis: *Eiurare*, deſumtas. Fatetur, & iam olim ASCANIVM PEDIANVM, & nonnullos recentiores in ea ſtetiſſe ſententia: Iurisiurandi religionem in recuſandis iudicibus adhibendam fuiſſe; aſt refragari huic opinioni ipſam vocis, eiurandi, notionem. FESTVM namque diſtincte ſatis dicere: *Eiuratio ſignificat, id, quod deſideretur, non poſſe praeſtari.* Loqui PETRONVM de *eiuratione bilis.* Eundem habere ſenſum hanc vocem apud PLINIVM,

 qui

qui dum, ipſe Tribunus, cauſſas egiſſet, dubium ſibi mouiſſet, ſi alteruter litigantium ad ſe prouocaſſet, num ſua auctoritate Tribunitia vti, an vero ſe in hac cauſſa quaſi priuatum, &, quaſi Magiſtratum & Tribunitiam poteſtatem abieciſſet, gerere vellet. Collineare etiam huc diſpoſitionem legis duodecimae *de iudiciis*, in Codice, nilque aliud innuere, quam quod quis relicto iudice, ad quem iuiſſet, cauſſam iterum ad priorem deferre potuiſſet. Habuiſſe apud Romanos iuramenta varias ſolemnitates; vnde conſtaret, ſolum verbum: *Eiuro*, pro iureiurando haberi non poſſe. Vocat deinde ſub incudem loca quaedam CICERONIS, & ASCONII PEDIANI, contenditque, quod voculae *eiuro, eieratio*, nil niſi ſimplicem reiectionem, denegationem, abnegationem, denotarent: & licet quandoque iurisiurandi mentio iniiceretur, ibi tamen de recuſatione ſermonem non eſſe. Progreditur deinde ad Ius Romanum recentius, & operoſe demonſtratum it, nec exinde vlla praeſidia, pro iurisiurandi perhorreſcentiae exiſtentia, peti poſſe. Tandem & Iuris Canonici textus prolixe examinat, & dehinc concludit: nec in hoc iure vllum veſtigium de hoc iureiurando occurrere. Ortum ducere ex erroribus, ac per Gloſſae & ICtorum, qui eam ſequuti eſſent, quisquilias, ſenſim in fora penetraſſe. a)

a) Vid. Dn. GASSER *cit. Diſſ.* §. X, ad XXXVIII.

§. IV.

Sententia Dn. Stegeri.

In eo, quod in Iure Canonico nullum pro hoc iureiurando praeſidium exſtet, cum Dn. GASSERO conſpirat, quem ſupra laudaui, celeberrimus Lipſienſium,

ſium, ICtus, Dn. STEGER. In antiquitates non deſcendit, nec qualis ſit verborum: *Eiuro, Eiuratio*, ſenſus, inueſtigat; ſed ſaltem breuibus oſtendere laborat: Errare omnes, qui e ſexto Decretalium libro, Titulo *de Reſcriptis*, & eius Capitulo vndecimo, pro vſu & exiſtentia huius iurisiurandi, argumenta depromerent. De illo enim ne volam, nec vllum veſtigium, in dicto textu exſtare. Eſſe illud infelicem foetum otioſorum ingeniorum, qui ſub Gloſſatorum iuris nomine ſatis cogniti. Pontifices deinde, e ſtatus rationibus, manus obſtetrices commodaſſe, & fora tandem hunc partum paſſim adoptaſſe. Alicubi tamen vſum illius vel exiguum, vel nullum eſſe. a)

a) Vid. Dn. STEGER *cit. Diſſ.* §. VII. *ſeq.*

§. V.

Argumenta Dn. Leyſeri, pro antiquiſſima huius iurisiurandi origine.

Dixi iam, quorſum celeberrimus LEYSERVS inclinet, ſcilicet: Datos a Praetore aut Praeſide iudices, non aliter, quam praeſtito iureiurando, reiectos ſeu eieratos fuiſſe. Conſtare hoc e variis CICERONIS locis, quorſum potiſſimum tenderent, quae in Libro ſecundo de Oratore, Libro tertio in Verrem, & in Philippicarum duodecima, occurrerent. Ipſam vocem, *Eierare*, iuxta natiuam & propriam ſignificationem, nil aliud denotare, quam, iureiurando interueniente, quid declinare; vt proinde iudicem eierare, ſit, eundem iurato recuſare. Conſtare hoc luculentius ex ASCONIO PEDIANO, coaeuo fere CICERONI, narrante: Iuraſſe *Antonium*, ſe ideo iudicium M. *Luculli, Praetoris*, recuſare, quod aequo iure vti non poſſet. Quum itaque PEDIANVS, iuris anti-

antiqui callentiſſimus, CICERONIS verba ſic intellexerit: quum CVIACIVS & BRISSONIVS, antiquariorum fere principes, eadem ſimiliter interpretati fuerint, vix rationem adeſſe, cur recentioribus, qui negarent, in eiuratione iureiurando opus fuiſſe, ſicque a natiua & propria vocis ſignificatione recederent, maior foret habenda fides. Perperam praeterea hos prouocare ad FESTVM. Hunc ſane non opus habuiſſe, addere quidquam de iureiurando, quum ipſa eiurationis vox ſatis declaraſſet, iusiurandum interueniſſe. Tollere etiam omne dubium PLAVTI locum, ad quem FESTVS pro illuſtratione ſuae explicationis prouocaret. Dicere PLAVTVM: *Eiurauit militiam*. Factam vero fuiſſe talem eiurationem per iusiurandum, docere LIVIVM, narrantem: *Camillum*, quum ſeptimum Tribunus militum creatus fuiſſet, paratum fuiſſe iurare in verba, excuſandae valetudinis ſolita. CICERONEM etiam innuere: *Aquillium* competitorem ſibi in conſulatu futurum non fore, quod morbum iurauerit. Dicere illum alio in loco, de eiurata bona copia, quod VARRO, bonam copiam iurare, vocaret. Agi deinde plus centies, de eiuratione Magiſtratus, in bonis auctoribus. Hanc autem eiurationem per iusiurandum factam fuiſſe, CICERONEM, DIONEM CASSIVM, PLVTARCHVM & PLINIVM teſtari. Exinde ſatis conſtare, eiurationem numquam ſine iureiurando fuiſſe. Omittere quidem quosdam ſcriptores iurisiurandi mentionem, vbi de reiectione & recuſatione iudicum agerent; id tamen propterea fieri, quod rem, omnibus notiſſimam, commemorare ſuperfluum

ſluum duxerint. Adparere id ipſum ex ASCONIO PEDIANO, qui, ex ipſius Dn. GASSERI confeſſione, iusiurandum in eiurando iudice adhibitum fuiſſe, diceret. Nilominus tamen hunc, vbi ad CICERONIS actionem primam in Verrem, de ſolemni iudicum reiectione, ex inſtituto ageret, totumque procedendi modum exponeret, de iureiurando, altiſſimum tenere ſilentium. PETRONII locum, vbi de bilis eiuratione diceret, metaphoram continere, ſicque non magis huc pertinere, quam illud PAPINII STATII, in quo leo domitus, ſepoſita, quam didicerat, manſuetudine, feritatem natiuam ac rabiem indueret, *fidem eiuraſſe* diceretur. a)

a) Dn. LEYSER *cit. Diſſ.* §. XXXV. *ſeq.*

§. VI.

Continuatio horum argumentorum.

Pergit doctiſſimus noſter ICtus, & Legem duodecimam Codicis *de Iudiciis*, ad quam Dn. GASSER, prouocauit, pro tuitione ſuae opinionis ideo allegat, quod e Libris Βασιλικῶν depromta ſit, & in fonte Graeco, vox ἐξωμοσία, quae a voce ἐξόμνυμι deſcenderet, occurreret, nilque aliud ex omnium interpretum ſententia, quam *abiurationem, inficiationem cum iureiurando, excuſationem cum iureiurando*, denotaret. Inde concludit: Morem iudices cum iureiurando recuſandi, ad ZENONIS Imperatoris, auctoris huius legis, tempora, adhuc perduraſſe. Militare praeterea pro illius vſu, non vnam praeſumtionem. Certum quidem eſſe, iure Codicis recuſationum cauſſas eſſe probandas; aſt ſimul conſtare & per iusiurandum, iure ciuili ita ſuffragante, probationem fieri poſſe.

Inde concludit: Potuiſſe iudicem ſuperiorem, ceteris paribus, iusiurandum etiam in probatione ſuſpicionum, iudici inferiori obiectarum, admittere; adeoque re ipſa perhorreſcentiae iuramentum, licet nomen incognitum, (quod tamen vix concederet,) decernere. Pro certo adſumit, BONIFACIVM VIII, in famoſo illo textu libri ſexti Decretalium, *de Reſcriptis* Capitulo vndecimo, de hoc iuramento diſſerere, & ſic illius vſum corroborare. Nec pugnare hanc diſpoſitionem cum aliis iuris Canonici textibus, probationem ſuſpicionum iniungentibus. Nil enim aliud eſſe iusiurandum perhorreſcentiae, quam probationem, quum perinde ſit, quod iuratum, quam quod probatum. a)

a) Dn. LEYSER *cit. Diſſ.* §. XXXVIII. & XL. *ſeq.*

§. VII.

Diuortium cur fecerim a Dn. Leyſeri ſententia.

Ita rationes, pro adſtruenda antiquiſſima origine iurisiurandi perhorreſcentiae, ſubducit, famigeratiſſimus ICtus, & pro ea qua pollet dexteritate & facundia, ſuam theſin erudite tuetur. Habeo tamen varia, quae impediunt, quominus calculum Viro erudítiſſimo addere poſſim. Proferam illa, non ſtudio contradicendi, ſed vt rectiora diſcam, qua de cauſſa nonſolum a Celeberrimo LEYSERO, ſed & ab aliis, quibus volupe eſt, mea ſub incudem reuocare dubia, meliora exſpecto & expeto. Vocum *eiurare, eierare, eiurationis,* notiones quod concernit, obſeruant Viri linguae Latinae callentiſſimi, eas paſſim nil aliud, quam deteſtari, reiicere, deteſtationes, reiectiones, denotare. a) Proſtant etiam hanc in rem varia

au-

auctorum loca. Sic vbi IVSTINVS de Alexandro narrat, quod patriae mores ſubuertiſſet & Perſarum mores adſumſiſſet, his vtitur verbis: *Vt etiam patriae nomen eiuraret, moresque Perſarum adſumeret.* b) De Vbiis, etiam TACITVS dicit: Quod genti Germanicae originis, *eiurata patria*, Romanorum nomen, Agrippinenſium, inditum fuerit. c) Apud SENECAM occurrit: Quosdam patres tam ſceleratos eſſe, vt eos aduerſari & *eiurare* ius fasque ſit. d) Dicit alibi: odiſſe & laceſſere virtutem, eſſe *bonae ſpei eiurationem.* e) Niſi me omnia fallunt, conſentientes habebo eruditos, in locis allegatis de ſolemni iuriſiurandi praeſtatione, ſermonem haut eſſe. Accedat & nunc Carthaginenſis Eccleſiae Presbyter, TERTVLLIANVS. Loquitur de baptiſmo Chriſtianorum, & his vtitur verbis: *Cum aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuae verba profitemur, renuntiaſſe nos diabolo & pompae & angelis eius, ore noſtro conteſtamur.* f) Hanc vero profeſſionem, renuntianem & conteſtationem, poſtea *eierationem* adpellat, vbi ita mentem ſuam exprimit: *Hoc erit pompa diaboli, adverſus quam in ſignaculo fidei* EIERAMVS. *Quod autem* EIERAMVS, *neque facto, neque dicto, neque viſu, neque proſpectu participare debemus. Ceterum nonne* EIVRAMVS *& reſcindimus ſignaculum, reſcindendo teſtationem eius?* g) Alibi Chriſtianum ita alloquitur: *Tu ſi diaboli pompam* EIERASTI, *quidquid ex ea attigeris, id ſcias eſſe idololatriam.* h) Nulla in his locis occurrit iuriſiurandi praeſtatio. Scimus enim Chriſtianos illicitas reputaſſe iuramentorum praeſtationes. i) Deinde frequentationem ſpectaculorum,

lorum, *baptiſmi eiurationem* dicit TERTVLLIANVS, vnde ſatis conſtat, quod nil niſi renuntiationem, abnegationemue, vox denotare poſſit.

a) NIZOLIVS *in Theſ. Ciceron* Voc. *Eiuro.* Dn. IO. AVG. ERNESTI *in Claue Ciceron.* Voc. *Eiurare.*
b) IVSTINVS *Hiſt. Lib.* XII, *Cap.* 4.
c) TACITVS *Hiſt. Lib.* IV, *Cap.* 28.
d) SENECA *de Benefic. Lib.* VI, *Cap.* 4.
e) IDEM *de Vit. beat. Cap.* XXVI.
f) TERTVLLIANVS *de Spectac. Cap.* IV.
g) IDEM, *ibid. Cap.* XXIV.
h) IDEM, *de Idolol. Cap.* XVIII.
i) Vid. mea *Hiſt. Eccleſ. Saec.* II, *Cap.* XV, §. 13.

§. VIII.

Examen argumentorum Dn. Leyſeri

Videre inde licet, dubiam maxime eſſe eam ſententiam, quam doctiſſimus LEYSERVS prodit, puta: Vocem, eierare, iuxta natiuam & propriam ſignificationem, nil aliud denotare, quam iureiurando interueniente, quid declinare. Quam firmo ſtet talo alterum illius adſertum: Datos a Praetore aut Praeſide iudices non aliter quam praeſtito iureiurando recuſatos fuiſſe? mox diſpiciam. Primus, ad quem prouocat, CICERONIS locus, haec exhibet verba: *Placet etiam mihi Scipionis illius, qui Titum Grachum perculit, cum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Murcium iudicem tuliſſet, eiero, inquit, iniquus eſt. Cum eſſet admurmuratum, ah! inquit, Patres Conſcripti, non ego mihi iniquum eiero, verum omnibus.* a) Nondum vero adducor, vt in his verbis recuſationem mediante iureiurando factam, agnoſcerem. Concedent, vti ſpero, eruditi, iuramenta apud Romanos

e Cicerone deſumtorum.

nos ſemper obſeruatis ſolemnitatibus & formulis praeſcriptis, praeſtita fuiſſe. Ipſe ASCONIVS PEDIANVS, ad illa CICERONIS verba: *Ita mihi velim Deos propitios!* ita commentatur: *Genus iuriſiurandi id eſt, quod dicimus: Tantum mihi Diuinitas faueat, quantum verum eſt illud, quod dico tibi. Sic igitur: Ita mihi Deos velim propitios, vt commoueor animo ac toto corpore perhorreſco, cum mihi illius diei venit in mentem, quo die citato reo* &c. b) Sileo alia, circa iuriſiurandorum ſolemnia & formulas, iam a BRISSONIO obſeruata. c) Notatu ſaltem dignam formulam e PLINIO adducam, huius tenoris: *Quin etiam ſedens praebuit iusiurandum, & ille iurauit, expreſſit explanauitque verba, quibus caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter ſefelliſſet, Deorum irae conſecraret.* d) Haec cum ita ſint, ſimplex enunciatio: *Eiero hunc!* vix pro iureiurando haberi poterit. Quem modo laudaui, PLINIVS, rerum forenſium fuit peritiſſimus. Silet tamen, vbi de reiectione & recuſatione datorum ſeu electorum iudicum agit, de iureiurando; immo nequidem voce, *Eiuro!* vtitur. En verba illius: *Sors & vrna fiſco iudicem adſignat: licet reiicere, licet exclamare:* HVNC NOLO, TIMIDVS EST ET BONA SAECVLI PARVM INTELLIGIT. ILLVM NOLO, QVIA CAESAREM FORTITER AMAT. Et paulo poſt: *Ingens hoc meritum, maius illud, quod eos procuratores habes, vt plerumque ciues tui non alios iudices malint. Liberum eſt autem diſceptanti dicere:* NOLO EVM ELIGERE! e) Plane cum PLINIO concordat ASCONIVS PEDIANVS. Frequens apud illum mentio, de recuſatione iudicum; nuſpiam

 vero

vero dicit, quod iurato illa facta fuerit. Dabo varia illius verba: Vbi ad illa CICERONIS commentatur: *Quod populus Rom. in reiectione iudicum iudicauit;* ita loquitur: *Ex iis, quos renuit*; non quos iureiurando interueniente recuſauit. f) Magis perſpicue totum modum & electionis & reiectionis poſtea delineat, inquiens: *Moris erat, celebrata iudicum reiectione, & haberi in officio Praetoris, & in arca reponi nomina iudicum ſelectorum. Reiectio autem idcirco dicitur, quia, cum multi iudices in conſilio cum Praetore ſuo iudicaturi eſſent, qui quaeſitor fuiſſet in publica cauſſa, verbi gratia repetundarum, ambitus, maieſtatis, neceſſe fuerat, eos primum de decuria ſenatoria conſcribi, cum Senatus iudicaret, deinde* IN VRNAM SORTITO MITTI, *vt de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet. Tertio, id eſt* POST VRNAM, PERMITTI ACCVSATORI AC REO, VT EX ILLO NVMERO REIICIANT, QVOS PVTAVERINT SIBI AVT INIQVOS AVT EX ALIQVARE INCOMMODOS FORE. *Solet autem ex moribus ac fama iudicum illorum, quos aut reiiciebant, aut retinebant, voluntatis coniecturam facere populus, quis cauſſae ſuae confidere, quis corrumpere iudices vellet. Reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerunt,* SVBSORTIEBATVR *Praetor alios, quibus ille iudicum legitimus numerus compleretur. Prima enim,* SORTITIO *dicebatur. His perfectis, iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent. Cum iuraſſent omnes, praeter ipſum Praetorem, nomina eorum libellis, vt ſupra diximus, conſignabantur, & vbique babeantur, ne pro ſelectis iudicibus, vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti, corruptiſſime iudicarent: itaque*

ad

ad Praetoris tribunal vt conſiderent, iudicaturi cum Praetore ſuo. g) Iterum bina vice de iudicum reiectione verba facit; h) Sed quod iurato recuſati fuerint, nil dicit. Nec obſtat, quod a celeberrimo LEYSERO dicitur: Ideo PEDIANVM nullam iurisiurandi mentionem inieciſſe, quod ſuperfluum duxerit, rem omnibus notiſſimam commemorare; Sic enim plane de modo ſolemni reiectionis, ſilere potuiſſet, quum & hic, prout illum delineauit, tunc ſatis omnibus cognitus fuerit. Perperam Dn. GASSER adſtruxit, quod iurisiurandi mentionem faceret PEDIANVS; Nil aliud enim apud illum legitur, quam quod & haec formula adhibita fuerit; *Eiero, iniquus eſt.* Haec autem formula aequipollet illis, quas PLINIVS habet: *Hunc nolo! Illum nolo! Nolo illum eligere!* Sicuti vero hac ad iurisiurandi praeſtationem trahi nequeunt; ita nec prior, nec ea cuius CICERO meminit. Immo loca laudata PLINII & PEDIANI, labefactant eam, quam circa reiectionem iudicum, tradidit diſtinctionem, doctiſſimus LEYSERVS. i) Ita proinde argumentor: Silet de praeſtatione iurisiurandi PEDIANVS, vbi ex inſtituto de iudicum recuſatione agit, proinde ſequitur, vt adhibita non fuerit, talis religioſa adſeueratio.

a) CICERO *de Orat. Lib.* II, *Cap.* 70.
b) ASCONIVS PEDIANVS *in Cicer. Lib.* I. *in Verr. pag.* 22. Edit. Colon. A. MDLXXVIII.
c) BRISSONIVS *de Formul. Lib.* V, *Nr.* 174. *Lib.* VIII, *Nr.* I. ad II.
d) PLINIVS *in Paneg. Cap.* LXIV.
e) IDEM *ibid. Cap.* XXXVI.
f) ASCONIVS PEDIANVS *Lib.* II. *in Verr. pag.* 37.

g) IDEM

g) IDEM *ibid. pag.* 40.

h) IDEM *Lib.* III. *in Verr. pag.* 66. & 71.

i) Vid. §. praeced. II.

§. IX.

Continuatio,

His praeſtructis, corruunt argumenta ex aliis CICERONIS locis petita. Prior his conceptus eſt verbis: *Scandilius poſtulare de conuentu Recuperatores. Tum iſte negat ſe de exiſtimatione ſua cuiquam, niſi ſuis, commiſſurum. Negotiatores putant eſſe turpe, id forum ſibi iniquum eiurare vbi negotientur. Praetor prouinciam ſuam totam ſibi iniquam eiurat. O impudentiam ſingularem!* a) Poſterior huius eſt tenoris: *Interim vt alacres & laeti ſpe pacis oblata, inter ſe impii ciues, quaſi viciſſent, gratulabantur: ſic me iniquum eiurabant, de me querebantur.* b) Prouocauit ad haec loca Dn. GASSER, additis quibusdam rationibus pro ſua tuenda ſententia; contra iisdem telis pugnat Dn. LEYSER, nec tamen aduerſarii ſui rationes contundit. Dicam quid ego ſentiam. VERRES, Praetor Siciliae, variorum facinorum ſe reum fecit. Socium criminum habuit *Apronium*, aliosque. Inſurrexit & contra *Verrem* & *Apronium*, Syracuſis, *Scandilius*, Eques Romanus, & *Recuperatores*, ſeu iudices ſuper re pecuniaria, quae ſtragem non leuem paſſa erat, poſtulauit. Non de conuentu Syracuſano, in quo multi equites Romani, viri primarii, e quibus quidam iuxta receptum morem reiici potuerint, ſed de ſua cohorte dare voluit Recuperatores, Praetor. c) *Scandilius*, inſtans, de conuentu Recuperatores poſtulauit. Negauit *Verres*, id eſt recuſauit, ſeu reiecit omnes

omnes de conuentu, dicens: ſe ſuis ſaltem rem commiſſurum. Quodſi hanc negationem, cum PLINII verbis, ſupra adductis, conferas, videbis: Reiectionem nuda noluntatis declaratione, abſolutam fuiſſe. Quum vero *Verres* tali reiectione totum equitum conuentum recuſaſſet, pungit illum ideo pro more ſuo, CICERO, inquiens: Praetorem totam ſuam prouinciam *eiurare*, ſeu omnes equites reiicere, ne locum Recuperatorum occupare poſſent. Hunc pruritum, impudentiam ſingularem ideo dicit, quod ne quidem negotiatores, omnes perſonas, eo in loco vbi negotientur, ſi in ius vocarentur, reiicerent. Vox itaque: Eiurare, nil aliud ſonat, quam illud PLINII: *Hunc nolo! Illum nolo! Hunc nolo eligere!* Poſterior quem attuli, CICERONIS locus, de reiectione, ſeu recuſatione iudicum, ne γρῦ quidem continet, ceu totus orationis contextus oſtendit. Inimicus capitalis *Antonii*, fuit *Cicero*. In bello ciuili, quod tunc Rempublicam turbauit, pacem obtulit *Antonius*: negauit CICERO, pacem ſperandam; ſaltem inutilem, turpem & perniciosam eſſe, pronunciauit. Populus, pacis deſiderio flagrans, iniquum ideo CICERONEM *eiurauit*, id eſt, *noluit*, eum amplius deliberationibus de pace ineunda, intereſſe. Exclamauit forſan, vt PLINII terminis hic paucis mutatis vtar: *Iniquus eſt, bona ſaeculi parum intelligit. Nolumus hunc vltra tractatibus de pace intereſſe.* Hanc, quam ego interpretationem ſuggero, ſuſtinet a *Tullio* noſtro addita enunciatio: *de me querebantur*. d) Certe nullum praeſidium, pro recuſatione iudicum, iureiurando corroboranda, inde eliciendum erit.

 a) CI-

a) CICERO *in Verr. Lib.* III, *Cap.* 60.
b) IDEM, *Philipp.* XII, *Cap.* 7.
c) IDEM, *in Verr. Lib.* III, *Cap.* 57. *ſeq.*
d) IDEM, *ibid. Cap.* 60.

§. X.

Argumentum Dn. Leyſeri ex Aſcanio Pediano petitum, ſub incudem reuocatum.

Ad ASCONIVM PEDIANVM rurſus prouocat Dn. LEYSERVS; a) Aſt telum ex armario hoc depromtum, jam contuderat Dn. GASSER, b) nec Dn. LEYSERVS, vnde illud rurſus acueret, oſtendit. Dabo verba PEDIANI. Ita ille de Antonio: *Deinde Graeci, quos ſpoliauerat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum Praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis etiam tum adoleſcentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus, & cum Lucullus id, quod Graeci poſtulabant, decreuiſſet, adpellauit Tribunos Antonius, iurauitque ſe ideo recuſare, quod aequo iure vti non poſſet.* c) Recte iam conſultiſſimus GASSER obſeruauit, nullam hic recuſationem iudicis, iureiurando firmatam occurrere, quum ſententia, a *Lucullo* contra *Antonium* tunc, quum hic iuraſſet, iam dicta fuerit. Iuraſſe itaque *Antonium*, quo eo promtiores deprehenderet Tribunos, ad corrigendam ſententiam, quam iniquam credidiſſet. Sanam plane, hanc interpretationem arbitror. Satisfecit enim iudex ſuo officio, vbi ſententiam pronunciauit. Exſpectat, vtrum in rem iudicatam tranſierit, actioque iudicati inſtituta fuerit nec ne? Si prouocatum fuerit, quieſcit iudicis officium, proindeque nulla recuſatione opus eſt. Adpellaſſe vero *Antonium*, aperte dicit PEDIANVS. Perperam proinde allegatus ex illo locus, ad iudicis recuſationem trahitur.

a) Dn.

Digitized by Google

a) Dn. LEYSER *cit. Diſſ.* §. XXXV.
b) Dn. GASSER *cit. Diſſ.* §. XIII.
c) ASCONIVS PEDIANVS *in Ciceron. Orat.* III. *in Verr. pag.* 136. *fin. ſeq.*

§. XI.

Veneror profundam & CVIACII & BRISSONII eruditionem. Horum vero auctoritas me nondum mouet, vt calculum Dn. LEYSERO, qui ad illam prouocat, addere poſſim. CVIACIVM quod concernit, innititur ille duntaxat enunciationi: *Eiero iniquus eſt;* a) Cuius ſenſum iuxta meum ingenii modulum, paulo antea aperui. BRISSONIVS dubitanter loquitur & ſe coniecturis ſaltem ad id credendum inductum ſcribit, quod qui iudices recuſaſſent, ſolemnibus verbis eos eiuraſſent. Superſtruxit ſuam coniecturam tribus locis CICERONIS, a me iam prolatis. Alias tamen recuſandi formulas vſitatas ſimul fuiſſe, etiam adſtruxit, eamque in rem ad PLINII locum, ſupra laudatum, prouocauit. b) Sic vel tacite innuit, recuſationes iudicum, & citra iusiurandum factas fuiſſe. FESTI verba, *eiurationem ſignificare, id, quod deſideretur, non poſſe praeſtari,* c) me quidem iudice, ſatis oſtendunt, *eiurationem* nil aliud denotaſſe, quam *denegationem, recuſationem,* ſeriam quidem, aſt ſimplicem, citra vllum iusiurandum. Vocem enim hanc in natiua ſua ſignificatione neutiquam declarare, iusiurandum interueniſſe, docent ea, quae in antecedentibus adduxi. Nec dimouent me, quae e PLAVTO illuſtrationis gratia adiecit: *Eiurauit militiam.* Deſumta ſunt verba ex amiſſa quadam PLAVTI comoedia, proinde ignoratur, qualis fuerit

Examen argumenti ab auctoritatibus Cuiacii & Briſſonii petiti

Ex Feſti verbis

& Plauti;

inte-

integer verborum contextus. Interim tamen verba Plautina ſatis commode hanc intërpretationem admittunt: *Abdicauit ſe militia, miſſionem poſtulauit.* Nec

ac Liuii. obſtant ea, quae e LIVIO a Dn. LEYSERO producuntur, ſcilicet: Furium Camillum ſeptimum Tribunum militum creatum, exactae iam aetatis, adeoque paratum fuiſſe, iurare in comitiis, in verba excuſandae valetudinis ſolita. d) Singulare hic occurrere exemplum, vel ideo arbitror, quod e multis aliis teſtimoniis conſtet, cauſſariam abdicationem & miſſionem, citra iurisiurandi praeſtationem, factam fuiſſe. Cauſſaria enim miſſio haec fuit, quae propter valetudinem, laboribus militiae ſoluit. e) In quibusdam ſaltem caſibus iureiurando opus fuiſſe, ex his LIVII verbis coniicio: *Cauſſas ſtipendiis miſſorum cognoſcebant, & cuius nondum iuſta miſſio viſa eſſet, ita iusiurandum adigebant: Ex tui animii ſententia, tu ex edicto C. Claudii Tib. Sempronii Cenſorum, in Prouinciam Macedoniam redibis, quod ſine dolo malo facere poteris.* f) Quidem itaque ne gratioſa eorum videretur miſſio, cauſſam iurare parati erant. Quod vero poſt exacta legitima ſtipendia, aut vbi cauſſa manifeſta & notoria, abdicatio non aliter quam praeſtito iureiurando permiſſa fuerit, vix probatum dari poterit.

a) CVIACIVS *Obſeru Lib. IX, Cap 23.*
b) BRISSONIVS *de Formul. Lib. V, Nr. 6.*
c) FESTVS *de Verb. Signif.* Voc. *Eiuratic.*
d) LIVIVS *Hiſt. Lib VI. Cap 22.*
e) Vid. VLPIANVS *in* L. 2. §. 2. D. *de his qui not. Infam.* LIPSIVS *de Milit. Rom. Lib. V, Dial* 19.
f) LIVIVS *Hiſt. Lib. XLIII, Cap.* 15.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Quod CICERONIS bina teſtimonia concernit, ad quae prouocat Dn. LEYSER, loquitur TVLLIVS in primo de pluribus competitoribus conſulatus, dehinc dicit: *Aquillium non arbitramur, qui denegat, et iurauit morbum et illud ſuum regnum iudiciale oppoſuit.* a) Sed morbum iurare, aliud plane eſt, quam eiurare magiſtratum. Noluit petere conſulatum Aquillius, propter aduerſam valetudinem & regnum iudiciale. Fuit enim ſummus Iureconſultus, paratus in agendo & celer in reſpondendo, b) varias tulit formulas, potiſſimum de dolo malo. c) Deinde formula: *Morbum iurare*, vix aliud denotare mihi videtur, quam adſeuerare & ſerio dicere, morbum impedimento eſſe, quominus hoc vel illud fieri poſſit. Conſtat enim, ſanctiſſimam apud Romanos fuiſſe iurisiurandi religionem. d) Attamen ad ATTICVM ſuum ſcribit CICERO: curaret, vt excuſaret morbi cauſſa, in dies ſingulos. Laenatem id iam recepiſſe, rogandum tamen adhuc eſſe C. Septimium et L. Statilium. Immo neminem negaturum fore, ſe iuraturum, quem rogaret. Addit: *Quodſi erit durius, veniam & ipſe perpetuum morbum iurabo.* e) Quis crederet de ſolemni iureiurando hic TVLLIVM loqui? Temeratorem ſic ſanctimoniae huius vinculi egiſſet, quod tamen religioſe cuſtodiendum eſſe, recte docuit. f) Hoc vero lubens concedo, formulam: *Iurare copiam*, in foro vſitatam fuiſſe & ſignificaſſe, aliquem iuraſſe, ſe creditoribus ſatisfacere non poſſe, CICERONEMque in ſuis, ad PAPIRII PAETI iocatio-

Examen teſtimoniorum e Cicerone petitorum.

cationes, reſponſionibus, ad illam reſpexiſſe; g) aſt quod exinde argumentum duci poſſit, eiurationis vocem, ſemper ſolemnem iurisiurandi praeſtationem denotare, ex ſupra deductis rationibus, nego.

a) CICERO, *ad Attic. Lib. I, Epiſt.* I.
b) IDEM, *in Bruto Cap. XLII.*
c) IDEM *de Offic. Lib. III. Cap.* 14.
d) IDEM *ibid. Lib. I, Cap.* 13. & *Lib. III, Cap.* 32.
e) GELLIVS, *Noct. Attic. Lib. VII. Cap.* 18.
e) CICERO, *ad Attic. Lib. XII. Epiſt.* 13.
f) IDEM *de Offic. cit. l.*
g) IDEM *ad Famil. Lib. IX, Epiſt.* 16.

§. XIII.

Quid eiuratio Magiſtratus?

De *Eieratione magiſtratus* frequenter quidem apud bonos auctores agitur aſt hanc enunciationem nil aliud, quam *abdicationem*, denotare, ipſe BRISSONIVS obſeruauit; a) cum quo conſpirant IO. VORSTIVS & ABRAH. TORRENIVS. b) Docent hoc ipſum varia loca TACITI, c) VALERII MAXIMI, d) & elegans plane PLINII, ad quem etiam Dn. GASSERVS prouocauerat. Conſultus enim PLINIVS a Pompeio Falcone: an Tribunum plebis, cauſſas agere deceat? Reſpondit: ſe Tribunum, ob certas rationes abſtinuiſſe. Profert has rationes, & inter illas hanc: Contingere potuiſſe, vt vel ille, cuius cauſſam peroraſſet, vel ille, contra quem interceſſiſſet, illum adpellaſſet. Tunc dubium fuiſſe, vtrum auxilium ferre, an quieſcere ſilereque, & *quaſi eiurato magiſtratu*, priuatum ſe ipſum facere debuiſſet; e) id eſt, quaſi magiſtratu ſe abdicaſſet. Confundit doctiſſimus LEYSERVS iuraiuranda Conſulum,

lum, tam circa auſpicia quam abſceſſus, præſtari ſolita, cum eieratione magiſtratus, quæ tamen iam olim bene diſtinxit BRISSONIVS. f) Sed audiamus teſtimonia, quibus probatum dare voluit Dn. LEYSERVS, eierationem Magiſtratûs, mediante iureiurendo factam fuiſſe. Queritur CICERO, quod illo die, quo abiturus eſſet Conſulatu, a Metello Nepote, Tribuno plebis, concionis habendae poteſtate priuatus, nec aliud conceſſum fuerit, quam vt iuraret. Se proinde *magna voce iuraſſe veriſſimum pulcherrimumque iusiurandum*, populumque magna voce, quod vera iurauerit, iuraſſe. g) Quale vero fuerit iusiurandum? alibi docet, inquiens: *Iuraui, Rempublicam atque hanc vrbem, mea vnius opera eſſe ſaluam*; h) Et rurſus alibi: *Mihi vni in Republica audiente populo Romano*, OPERA MEA HANC VRBEM ET HANC REMPVBLICAM ESSE SALVAM, IVRATO *dicere fas fuit.* i) Eadem fere de CICERONE narrat DIO, quod ſcilicet impeditus fuerit verba facere, ſaltemque vt iusiurandum praeſtaret, permiſſum fuiſſe; Cui addidiſſet: Vrbem a ſe ſeruatam eſſe. k) Obſeruat vero PLVTARCHVS: Non ſolemne, ſed peculiare quoddam & nouum iusiurandum ſic praeſtitiſſe CICERONEM. l) Ordinarium vero illuc tendebat, quod nil contra leges in Conſulatu fecerint Conſules. m)

a) BRISSONIVS *de Verb. Signif.* Voce *Eiurare.*
b) VORSTIVS & TORRENIVS *in Not. ad Valer. Max. Lib. II, Cap. 7. Nr. 7. Not. 43.*
c) TACITVS *Annal. Lib. XII, Cap 4. Lib. XIII, Cap. 14. Hiſtor. Lib. III, Cap. 37. & 69. & Lib. IV, Cap. 39.*
d) VALERIVS MAXIMVS, *Lib. II, Cap. 7. Nr. 7.*
e) PLINIVS, *Lib. I, Epiſt. 23.*

f) BRIS-

f) BRISSONIVS *de Formul. Lib. VIII. Nr. 16.*
g) CICERO *ad Famil. Lib. V, Epiſt. 2.*
h) IDEM *Orat. in Piſon Cap. III.*
i) IDEM *Orat. pro Dom. Cap. XXXV.*
k) DIO CASSIVS *Hiſt. Rom. Lib. XXXVII, pag.* 47. Edit. Hanou A. MDCVI.
l) PLVTARCHVS *Vit. Ciceron. pag.* 872. Edit. Francof. A. MDXCIX.
m) PLINIVS *in Paneg. Cap. LXV.*

§. XIV.

Vlterior obſeruatio de Eiurat. magiſtrat.

Non omnes Magiſtratus ita iurarunt, ſed ſaltem Conſules; Immo ne hi quidem ſemper. a) Plerumque tamen & vbi capeſſerent dignitatem hanc, & vbi diſcederent, de rite adminiſtranda & reuera ſic adminiſtrata Republica, iuraiuranda dederunt. b) Sunt, qui putant: Eiurationem magiſtratus fractis antea faſcibus factam fuiſſe, & ad DIONEM prouocant; aſt agit hiſtoricus de deturbatione Conſulum a Principe facta. Prodit porro, quod haec inſignium fractio, in ignominiam eorum decreta fuerit. Silet de praeſtito iureiurando. Inde coniecturari licet: perperam a iureiurando Conſulum diſcedentium, de quo dixi, ad abdicationem, ſiue eiurationem Magiſtratus in genere, duci argumentum; nec inde ſequi, omnem abdicationem, per iuſiurandum factam, adeoque eiurationem nunquam ſine iureiurando fuiſſe. Locum quod concernit PETRONII, ſunt qui putant, id dicere voluiſſe Satyricum: *Si iureiurando promittas, te hodie non inſaniturum.* d) Magis tamen probo aliorum interpretationem, qui de bile Poetico verba PETRONII, *ſi eiuras hodiernum bilem*, intelligunt. Semper enim *Eumolpum* carmina euomuiſſe. *Encolpium* itaque deſideraſſe: Eiuraret hanc bilem; ſimul

Obſeruatio de loco Petronii.

tamen

tamen innuiſſe, etſi polliceatur *Eumolpus*, etſi valde diſcupiat, carmina non euomere, reuera tamen praeſtari non poſſe. Vix etiam in hoſpitium *Encolpii* receptum *Eumolpum*, pauculis interiectis verbis, ad ſua carmina rediiſſe, adeoque Encolpium pertaeſum dixiſſe: e) *Hoc eſt, inquam, quod promiſeras, ne quem hodie verſum faceres? Per fidem ſaltem nobis parce.* Sic PETRONIVM voce *eiurare*, in eodem ſenſu vſum fuiſſe, quem FESTVS dediſſet, quod ſcilicet ſignificaret, id, quod deſideretur, praeſtari non poſſe. f) Tandem negari nequit, ſed potius a viris genii linguae Latinae gnariſſimis obſeruatum eſt, voces: *eiurare aliquam rem*, poni pro *recuſare.* g) Sic itaque & *iudicum eiuratio*, nil aliud, quam *recuſationem* eorum denotat. Recuſatio vero alicuius rei nullum iusiurandum deſiderat. Eiurare, eſt recuſare.

a) PLINIVS *in Paneg. Cap. LXV.*

b) IDEM, *ibid. Cap. LXIV.* DIO CASSIVS *Hiſt. Rom. Lib. LIX*, cit. Edit.

c) DIO CASSIVS, *cit. l. pag. 655.*

d) GEORG. ERHARD, *in Not. ad Petron. Cap. XC.*

e) PETRONIVS *in Satyr. Cap. XCIII.*

f) GONSALIVS de SALAS, *in Comm. ad Petron. Satyr. Cap. XC.*

g) MANVTIVS *in Not. ad Ciceron. Lib. III. in Verr. Cap. 60.* ABRAH. TORRENIVS *in Not. ad Valer. Max. Lib. II, Cap. 7, Nr. 7. Not. 43.*

§. XV.

Cogitationes de ſenſu L. 12. C. de Iudic.

Quantum ad ſenſum Legis duodecimæ Codicis de iudiciis, largior vltro doctiſſimo LEYSERO, vo-

cis ἐξωμοσίας, ſignificationem, apud antiquos Graecos, non aliam occurrere, quam talem, quae actum iudicialem, cum iureiurando coniunctum, prodit. Largior porro, Iureconſultos mediae vt dicitur Graecitatis, per hanc vocem denotaſſe, *cautionem iureiurando firmatam*, *deierationem*, *ſponſiorem iuratoriam*, *abiurationem*. Sed & hoc pro certo habeo, recentioribus quibusdam, voces ἐξόμνυσθαι & ἐξωμοσίαν, idem eſſe, ac *abdicare*, *negare*, *repudiare*, *abdicatio negatio*, *repudiatio*, nullo ad iurisiurandi religionem habito reſpectu. Loca non dabo, quum iam plus iuſto euaſerit mea diſſertatio. Progredior itaque ad ipſum memoratae legis ſenſum. Sanciuit Imperator ZENO: a) Licere, iudicem recuſare, ex iuſtis cauſſis, ante litem conteſtatam. Alium tunc dandum eſſe iudicem a Principe, aut adiungendum recuſato, collegam. Ne ſyllaba quidem de iureiurando, quod praeſtandum ſit, occurrit. Tandem in fine conſtitutionis additur: Secunda ſi facta fuerit recuſatio, dupli poena, damnum inde datum, reſarciendum quidem, ſed absque fideiuſſoribus aut iuratoria cautione, rem apud priorem iudicem peragendam eſſe. Ita textum Graecum intelligendum eſſe, arbitror. Quid haec faciant ad iusiurandum, vt dicitur, perhorreſcentiae? ego quidem non video. Si coniectura vti licet, cautio ſaltem de lite proſequenda, datis fideiuſſoribus aut praeſtito iureiurando, ſic remiſſa fuit.

a) Libr. Βασιλικῶν Lib. VII, Tit. 6, cap. 12.

§. XVI.

§. XVI.

Iure Codicis probandas eſſe recuſationum cauſſas, nemo in dubium vocabit, ſicuti nec celeberrimus LEYSERVS dubitat. Integer proceſſus iuris ciuilis talis eſt: Cauſſa recuſationis libello iudici porrecto, vel illo abſente apud acta Præſidis, vel Defenſorum, vel Duumuirorum, alleganda ac plerumque probanda eſt. a) Huic rei ante litem conteſtatam, poſt libelli oblationem dies viginti praeſcripſit IVSTINIANVS. b) Coguntur tunc partes arbitros eligere, & apud illos cauſſam peragere, qui eadem poteſtate pollent, ac ſi a Principe, ſi Princeps, vel a Praetore, ſi Praetor iudicem recuſatum dederit, electi ac dati fuiſſent. c) Veri itaque iudices ſunt tales arbitri, & ab illis prouocari poteſt, licet alias ab arbitris mutua promiſſione electis, prouocatio licita haut ſit. d) Vt autem arbitros eligant, poſt recuſationem iudicis dati, compelluntur litigatores per eundem adparitorem ſiue exſequutorem litis, cui ab initio mandata erat cauſſae exactio. e) Hæc cum ita ſint, extra orbitam iuris poſitam puto ſententiam Dn. LEYSERI, potuiſſe iudicem ſuperiorem, in probatione ſuſpicionum iudici inferiori obiectarum, etiam iusiurandnm admittere, propterea quod probatio iure ciuili etiam per iuramentum fieret. Nam textus iuris ad quos prouocat, f) loquuntur de iureiurando a parte parti delato & acceptato. Potuit quidem & iudex in dubia cauſſa iusiurandum vni e litigatoribus deferre; g) Aſt dubia cauſſa iuxta iuris analogiam illa eſt, vbi talis vtrinque probatio allata, quae cauſſam litigatorum ita parem facit, vt modo

Indoles recuſationis iuxta ius ciuile.

 huc,

huc, modo illuc inclinet iudicis animus. g) Sed quid quaeſo haec ad iusiurandum, de quo cogitat Dn. LEYSERVS?

a) L. 18. C. *de Iudic.* add. L. 9. D. *de liber. cauſ.*

b) *Novel.* LIII. & LXXXII.

c) L. 16. C. *de Iudic.*

d) L. 1. C. *de recept. Arb.*

e) L. 16. & 18. C. *de Iudic.* conf. CVIACIVS *Obſ. Lib. VIII. Cap.* 23. add. IAC. LECTIVS *ad Aemil. Macr. de publ. Iudic. ad L.* 7. D. *ad L. Iul. repet. ap.* OTTONEM *in Theſ. Iur. Tom. I, p.* 91.

f) L. 5 §. 2. L. 11. §. 3. D. *de Iureiur.*

g) L. 31. D. *de Iureiur.*

h) Vid. NOODT *Probab. Iur. Lib. III. Cap.* 6.

§. XVII.

Iuxta ius Canonicum.

Iuxta canonum iura quid circa iudicis recuſationem obtineat? alibi iam paucis docui a) adeoque nunc actum denuo non agam. Nonſolum allegandam, ſed & probandam eſſe cauſſam recuſationis iuxta huius iuris diſpoſitiones, ipſe fatetur Dn. LEYSERVS; b) Sed recoquit ſententiam, modo a me profligatam, ſcilicet: Nil aliud eſſe iuramentum perhorreſcentiae, quam probationem, quum perinde habeatur, quod iuratum, atque ſi probatum eſſet. Dixi vero, tunc demum veram eſſe hanc adſertionem, vbi pars parti per modum conuentionis iusiurandum detulit. Hunc vero quem ſibi fingit caſum, Vir celeberrimus, iura Digeſtorum, Codicis & Decretalium, plane ignorant. Saltem circumſpiciendum erit, num in BONIFACII VIII. conſtitutione, c) praeſidium tantum lateat, ac ſibi aliisque perſuadet?

det? Recte vti opinor, iam obſeruauit Nobil. STEGER, totum capitulum loqui de iudicibus delegatis, adeoque etiam illum paragraphum, vnde iuſiurandum perhorreſcentiae eruere plurimi contenderent, ſaltem decernere: Quodſi actor & reus eiusdem eſſent ciuitatis vel dioeceſis, etiam delegatum ex illa nominandum eſſe. Mox vero Pontificem ab hac regula ſex caſus eximere, & in illis, vt cauſſa alibi, non tamen vltra vnam, vt dicitur, diaetam, cognoſceretur. Inter caſus illos occurrere & hos: Si actor eandem ciuitatem vel dioeceſin intrare non auderet; aut ſi aduerſarii potentiam perhorreſcens, cum intra ciuitatem vel dioeceſin, ſecure conuenire non poſſet. Hosce caſus non aliunde, quam ex hiſtoria illorum temporum lucem foenerari poſſe. Turbatiſſimas tunc res Italiae vndiquaque fuiſſe, factionesque Guelforum & Gibellinorum, omnes ciuitates infeſtas feciſſe. Addo: ipſum BONIFACIVM ob varios contra Reges Galliae, Angliae, Hungariae, Siciliae, Imperatorem Germaniae & domum Columnarum, inſultus, turbulentiorem adhuc ſtatum & quietem reddidiſſe. e) Sic itaque contingere potuit, quod actor, Guelfus forſan, aut alterius factionis, haeſitaret, vtrum reum intra ciuitatem, quam cum illo communem agnoſceret, ſatis ſecure conuenire poſſet? Vel quod plane non intrare illam auderet, quod Gibellini, aut alii aduerſarii, ibi praeualerent; vel quod rei conuenti, alterius forſan factionis, potentiam, priuatam violentiam & diffidationem, merito timeret & perhorreſceret. Tales ſi exiſterent caſus, conceſſit Pontifex, vt extra ciuitatem cauſſae

 cogni-

cognitio inſtitueretur; hoc ſaltem addens: Vt impetrans huius timoris mentionem iniiciat, & fidem iudici delegato faciat, ſaltem per proprium iusiurandum. Inde ſatis perſpicue conſtabit, totum textum de iudice ſuſpecto & eius recuſatione, ne ſyllabam quidem continere, adeoque & inanos eſſe omnium conatus, qui exinde extraordinarium recuſationis remedium ſculpere laborant. Vidit quodammodo id ipſum iam olim, celeberrimus Vitembergenſium ICtus, BEYERVS, vbi de verbis huius textus breue quidem, ſed acre iudicium tulit, inquiens: Ea *magis metum violentiae, quam non aeque iuſtitiae adminiſtrationis, inferre.* f)

a) Vid. mea *Elem. Iur. Can. & Proteſt. eccleſ. Part. II.* §. 247, 248, 249.

b) Prouocat ad c. 10. X. *de For. Compet. c. 6. X. de Adpell. C. 4. de Offic. Iud. deleg. in 6.*

c) C. 11. *de Reſcript. in 6.*

d) Dn. ANDR. STEGER *Diſſ. de Iuram. perhorreſc. vſu pract.* §. VII.

e) Anonymi *Hiſt. des Papes Tom. III, pag.* 312. *ſeq.*

f) GEORG. BEYER *Delin. Iur. ciu. Pand. Tit. de Iudic. Poſ.* 85.

§. XVIII.

Vera huius iurisiurandi Origo.

Placent mihi, quae circa originem huius iurisiurandi commentatus eſt, laudatus Dn. STEGER. a) Anſam dederunt diſceptationes Gloſſatorum, qui in varias abierunt ſectas. *Bulgariani* potiſſimum, qui *Goſianorum* aduerſarii, prima ſemina ſparſerunt. AZO, aſt quantus heros! dehinc ACCVRSIVS, anteſignanus

gnanus inter Azonis diſcipulos, hanc theſin propugnarunt: Recuſari poſſe iudicem propter ſuſpicionem nulla cauſſa adducta vel probata. Addidit ACCVRSIVS: Iurare poſſe recuſantem, ſe habere ſuſpicionem, licet cauſſam, quare? non diceret. Quum poſtea aſſeclae huius ICti, in decantatum illud BONIFACII VIII capitulum inciderent, b) putarunt, illud per interpretationem quandam extenſiuam, etiam ad illum caſum trahi poſſe, vbi quis metuit, iudicem iuſtitiam non aequa lance fore adminiſtraturum. Placuit hæc interpretatio Curiæ Romanae, adeoque paſſim in fora, inſtar authenticae, penetrauit. c) En! Atauos, parentes & obſtetrices huius partus. Ego olim Pontificem iſtius parentem agnoui; d) nunc vero ingenue fateor, me eraſſe.

a) Vid. §. praeced. IV.

b) c. 11. *de Reſcript.* in 6.

c) Dn STEGER *cit. Diſſ.* §. VIII. ſeq.

d) Vid. mea *Elem. Iur. Can. & Prot. eccl. Part.* II, §. 250.

§. XIX.

Ita circa mea ſtudia, rationes ſubduco, Nondum occupata eſt veritas. Vbi ipſe profectus facio, participes illorum etiam debent eſſe mei auditores. Commentatus ſum per elapſum ſemeſtre hybernum priuatim, ad mea elementa iuris canonici; Nunc per aeſtiuum, ad ductum illorum, publice huius iuris tradita enucleabo, paſſimque nouis obſeruationibus illuſtrabo. Olim, quum in alma Salana in his praelectionibus occupatus fuerim, magna caterua eorum, Indictio Lectionum.

qui

qui S. Theologiae operam dederunt, illis inter it, proinde & qui in noſtra Muſarum ſede ſunt, crarum litterarum cultores, ad aequalem induſtri inuito. Legam quotidie, quo intra ſemeſtre ſpatii coronidem laboribus imponere poſſim, ab hora V ad VIII. Priuatim Pandectarum doctrinam, ea, ſi c polleo, dexteritate, perſpicue & priſca fide, inſ labo. Ducem elegi HEINECCIVM cuius ſyntag palmam reliquis, me quidem iudice, iam dudu praeripuit. Vt vero et has praelectiones intra ſem ſtre aeſtiuum abſoluere poſſim, per ſingulos dies h ras binas, puta ab VIII. ad IX. et ab XI. ad XII, lis deſtinaui. Adeſte, igitur pari alacritate ac ſol tia, honoratiſſimi Domini commilitones, vti in i inuenietis fidum ac indefeſſum Doctorem. Pu

Helmſtadii Prid. Calend. April. Ao.
MDCCXLIV.

Digitized by Google